



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione  
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

An alienatio rerum Ecclesiasticarum absque iusta causa, vel sine debita  
solemnitate valida sit tam in foro externo, quam in conscientiae. §. 6

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)



Secunda conditio est, ut adit evidens Ecclesie utilitas in hac renouatione, sicut adit in antiqua concessione, a alias illicita erit: sic Barbosa num. 34. Riccius decif. 5. in vnaque edit. Cetera de Grassis decif. 4. de locato. Ex quo fit, si datum fuit praedium sterile in emphyteusim, ut sic ad cultum reduceretur, & finita emphyteusim iam non sterile, sed fructiferum redditum est, renouari non potest emphyteusim, nisi ex noua causa utilitatis Ecclesie superueniente. Tum quia prima cessauit. Tum quia moraliter reputatur alia res ab ea, quae data fuit primo: sic Marc. Anton. Genuef. cap. 60. num. 6. vers. primus. Praxis Episcopalis. cap. 1. num. 32. Barbosa aliis relatis 3. part. de potest. Episc. alleg. 95. num. 33. Est autem sufficiens causa renouandi emphyteusim remuneratio obsequij in ea facti; quia sic excitantur alij ad similes meliorationes faciendas, & peculium Ecclesie augetur, quod forte cessaret, si scirent emphyteuta rem sterilem accipere: tunc tempore signato conductionis sibi emphyteusim reddendam non esse: sic Galdas Pereira de nomine emphyt. quaest. 23. num. 60. & quaest. 12. num. 2. Barbosa num. 26. Tertia conditio est, ut res non sit iterum Ecclesie incorporata; quia per incorporationem omnino extinguitur prima alienatio, & res facta est Ecclesie, ac si ab ea nunquam discessisset: sic Mol. disp. 468. conclus. 8. usque in finem. Bonac. disp. 3. de contract. quaest. 8. p. 4. num. 30. Dicitur autem Ecclesie incorporata, quoties ij, ad quos administratio pertinet, decernunt eam non alienare, praesumitur autem sic decretum esse, si finita emphyteusim anno integro administrator ab illius renouatione abstinuit: sic Mol. tr. 2. de iust. disp. 468. circa fin. Ex his inferitur rem semel alienatam cum solemnitate effici perpetuo alienabilem absque solemnitate: sic pluribus comprobatur Gonzales reg. 8. cancellar. glossa 6. num. 194. Riccius in praxi rerum fori Ecclesiastici decif. 26. Barbosa alleg. 95. n. 32. Quod intelligendum est, si admittit supra dictae tres conditiones.

3 Sed inquire, quando emphyteusim Ecclesiastica censenda sit transire ad haeredes extraneos, quando in perpetuum, quando pro tempore determinato.

Plura in hoc quaestio inuoluuntur, quae latiore explicationem exposulant, illis ergo pro tenuitate nostra satisfacimus, cum de emphyteusim erit sermo. Breuiter nunc respondemus. Primo, si concessio sit facta cum expressione in perpetuum, seu ad quoslibet successores, aut haeredes, quos emphyteuta voluerit relinquere, clarum est, esse concessionem in perpetuum; quam diximus etiam in emphyteusim Ecclesiastica fieri posse: sic aliis relatis docet Mol. tr. 2. de iust. disp. 469. concl. 1. Valquez & Couar. statim allegandi. Dubium tamen est, an talis concessio non solum ad haeredes descendentes, sed etiam ascendentes, & extraneos transeat. Et de emphyteusim priuata omnes conueniunt extendi. De Ecclesiastica sunt variae sententiae: probabilius credo ad ascendentes, & extraneos extendi, ex Authent. de alienat. & emphyteusim, si licentiam, & quia ascendentes propius similes haeredes sunt; & quia ab Ecclesia concessa est facultas alienandi res Ecclesie in perpetuum seruata solemnitate: quod fieri non posset in emphyteusim, si ad extraneos, & ascendentes non transferretur emphyteusim: & ita docet Couar. 2. var. cap. 17. num. 5. concl. 4. Mol. tr. 2. de iust. disp. 469. post primam concl. Iulius Clarus lib. 4. sentent. §. emphyteusim, quaest. 8. num. 6. Secundo, respondeo, si res Ecclesiastica dicitur in emphyteusim pro se suisque haeredibus, tertiam generationem non transcendit, neque ad haeredes extraneos deuenit, ex text. in Authent. de non alien. §. emphyteusim, sic pluribus relatis firmat Cou. 2. var. cap. 17. num. 5. Valquez in opus. de rebus, cap. 2. §. 2. dub. 17. num. 59. Nominem autem haeredum non solum viti, sed feminae debent intelligi, ex supra. §. emphyteusim, & multis exornat Couar. cap. 18. num. 1. & Valquez loco citato. Tertio, respondeo, si data sit emphyteusim alicui pro se, suisque filiis, inter filios aequaliter est emphyteusim dividenda, neque potest patet vni assignare omnia filijs: quia filijs non competit emphyteusim ex voluntate patris, sed ex voluntate domini concedentis emphyteusim: quam voluntatem patet mutare non potest, ex in princ. de success. feud. licet ad alios relatis Couar. d. c. 18. num. 2. Mol. disp. 474. vers. quando patris. Valq. dubio illo 17. num. 68. Excipit tamen nisi aliud expressit: concedere esset determinatum: quod satis colligere, si dicitur concedo tibi, tuisque liberis, ut ipsi tanquam haeredibus deferatur: tunc enim voluntati patris praescriptio relinquuntur, sicut & melioratio: sic Valquez num. 6. & Couar. supra. num. 2. concl. 4. Quarto, respondeo, si emphyteusim data sit alicui pro se suisque filiis, & descendentibus, ad extraneos non transeat, neque ad ascendentes & competit tamen filijs, tamen haeredes non sunt, sed haereditatem renouauerint: quia illis relinquuntur non qua ratione haeredes sunt; sed quia sunt filij, & emphyteuta descendentes. Valq. num. 61. Cou. num. 2. concl. 5. Quinto respondeo, si alicui, eiusque filiis, & haeredibus emphyteusim relinquatur, ad filios deuenit si haeredes sint qua dictio copulatiua, & haeredibus, denotat rationem relinquendi filijs emphyteusim, non esse tantum, quia filij sunt, sed quia haeredes esse praesupponuntur: sic Cou. 2. lib. 16. Valq. n. 61. Ex vi tamen huius concessionis, si emphyteusim Ecclesiastica est, quae sua natura ad extraneos non transit, non competit haeredibus

extraneis. Secus vero si ex sua natura ad haeredes extraneos transmittatur, ut est emphyteusim secularis: quia dictio illa, & haeredibus, non limitat significatum filij, ut ad solos filios haeredes debeat emphyteusim deuenire, sed potius illius significationem auget, ut faciat hunc sensum, deueniat ad filios, quia iam haeredes praesupponuntur, & deueniat etiam ad eius haeredes, &c. sic docuit Cou. & Valq. supra. Sexto, respondeo, si data fuerit emphyteusim alicui, eiusque liberis, absque eo quod addatur haeredibus, & successoribus, liberis competit, tamen patris haereditatem repudiat: quia talis emphyteusim non est haereditaria, sed ex pacto sic Cou. 2. var. cap. 18. n. 4. vers. 7. Secus dicendum est, ut ipsemet Couar. ex Bart. notat, in feudo illa forma relicto; quia feudum nunquam potest ad filios repudiantes haereditatem patris deuenire, tamen haereditarium non sic, ex text. in cap. 1. An agnati, & filij. Septimo, respondeo, si nulla facta mentione filiorum, haeredum, aut successorum Titio emphyteusim concedatur, talis emphyteusim haereditaria non est; ac proinde ad filios non haeredes pertinere potest. Secus dicendum de feudo, quod nunquam ad filios non haeredes pertinere, bene tamen ad agnatos. Quod si iniquitas, quando dicitur emphyteusim, aut feudum haereditarium, quando ex pacto? Respondeo haereditarium dici, quando expressit in constitutione feudi, vel emphyteusim mentio sit haeredum, ut si dico tibi, tuisque haeredibus, &c. Non haereditarium est, quando nulla mentione facta haeredum relinquuntur, vel quando relinquuntur alicui, eiusque liberis, & descendentibus: haec omnia late, & optime defendit Iulius Clar. lib. 4. sentent. §. emphyteusim, quaest. 16. Aluar. Valasc. de iure emphyteusim quaest. 43. & 44. Mol. tract. 2. de iust. disp. 472. per totum.

§. V.

Quae conditiones in alienatione iuris patronatus, & sepulchrorum seruandae sint.

- 1 Ius patronatus inter bona immobilia computatur.
- 2 Qua ratione alienari possit.
- 3 Ius sepulchri vendi non potest.
- 4 Ius sepulchrorum, & patronatus qua ratione ad successores deueniat.

1 **C**onstat ius patronatus inter bona immobilia, vel saltem mobilia pretiosa computandum esse; ac proinde si apud Ecclesiam existat, alienari non potest a Rectore, non seruatis supra dictis conditionibus, illis vero seruatis alienabile est: quia nullibi specialis eius alienatio interdicitur.

2 Aduerto tamen per venditionem illius directe factam nunquam alienari posse: quia ut dicimus disput. de Simonia, pretio adequari non potest; quia est quid spirituale. At consequenter bene vendi potest vendita haereditate, cui tale ius annexum est, ut latius ibi; & pluribus comprobatur Lambertin. lib. 1. de iure patronatus, 2. part. q. 3. art. 17. n. 4. Item alienari potest per donationem; quia in hac nulla rebus factis irreuerentia committitur: quae donatio si fiat Ecclesiae, vel loco pio, non indiget Episcopi consensu, indiget tamen si fiat laico: text. in cap. quod autem, & illud, de iure patron. & tradit Lambert. de iure patron. lib. 1. p. 2. q. 1. art. 2. & 3. Rochus de Curte de iure patron. verbo ipse velis, q. 7. n. 16. Mol. de primog. l. 1. c. 4. n. 13. Item potest alienari permutatione cum iure patronatus alicuius Ecclesiae, vel loci pii; & hoc absque Episcopi licentia, ex text. in c. Nemi 16. q. 7. & tradit glossa c. cum saeculum, verbo emptorem, & clem. 2. verbo libero, de iure patronat. Si autem permutatio fiat cum priuato, Episcopi consensum necessario requirit, si ius patronatus sit Ecclesiae; si vero sit ius patronatus priuatum, probabilis etiam est requiri Episcopi consensum: tradit Roch. Curte. supra, q. 16. n. 30. Lambert q. 3. art. 1. 2. & 3. Mol. n. 14.

3 Quod si de iure sepulchrorum loquamur (quod vt ipse, suisque haeredes, successores, & quicumque ab eo signati, in loco ab Episcopo benedicto sepeliuntur, & nullus alius) certum est vendi non posse: quia est quid spirituale. Excipit tamen nisi vendatur tanquam accessorium alicuius praedij habentis hoc ius; si tamen praedium ita habet ius illud sibi annexum, ut nulla alia via, ius ad sepulchrum pateat, nisi per illud praedium: tunc enim venditio praedij transfertur & ius ad sepulchrum, sicuti de iure patronatus dictum est.

4 Qua vero ratione ius patronatus, & ius sepulchrae ad successores deuenire possit, non est huius loci disputare, videatur Mol. de primogen. d. cap. 24. Couar. 2. var. c. 18. n. 8.

§. VI.

An alienatio rerum Ecclesiasticarum absque iusta causa, vel sine debita solemnitate valida sit tam in foro externo, quam conscientia.

- 1 Absque causa legitima alienatio facta nulla est, nam et si aliqui contrarium sentiant.

2 Quid



- 2 Quid dicendum est, si Ecclesia existimauerit causam legitimam adesse?
- 3 Si alienatio facta est pro satisfaciendis debitis, debet creditor probare pecuniam mutuatam veram esse in Ecclesia utilitatem.
- 4 Si adfuit causa legitima, tamen si condiciones alienationis non fuerint seruatae, plures consent alienationem valere.
- 5 Probabilius est non valere, tam in foro externo, quam conscientia.
- 6 Res alienata Ecclesiae absque legitima causa, vel debita solemnitate Ecclesiae restituenda est, cum omnibus eius fructibus.
- 7 Quis sint poena alienantium absque causa, vel debita solemnitate.

Quoad primum attinet, si alienatio fiat absque causa legitima, glossa in *sum. 12. quest. 2. c. 1. cap. sine exceptione, verbo profuturum 12. quest. 2.* & alij quos referunt Panormitan. & Couaruias locis allegandis, sciunt validam esse alienationem, dari tamen Ecclesiae restitutionem in integrum: iuxta textum in *cap. 1. de in integrum restitut. Moventur*; quia non indiget Ecclesia beneficio restitutionis, si contractus nullus esset: quia beneficium restitutionis est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui iure remedium ordinatum competit. *leg. in causa, C. 2. ff. de Minorib.* At si alienatio ipso iure nulla est facta absque legitima causa, remedium ordinatum nullatenus comperet Ecclesiae, & cessaret beneficium restitutionis in integrum. Ergo dicendum non est, esse nullam alienationem.

Ceterum omnino tenendum est deficientem legitimam causam alienandi, alienationem nullam esse, non solum in foro externo, sed conscientia: sic docent Panormitan. *cap. 1. de in integrum restitut. num. 17. cap. eius, de his quae sunt à Prelato, num. 8. cap. nulli, de rebus Ecclesiae non alienandis, n. 7. Couar. plures referens, lib. 2. var. cap. 17. n. 4. Molin. de contract. tract. 2. disp. 468. vers. se extra conclusio*: Bonac. supponit *disp. 3. de contract. feud. quest. 8. p. 4. num. 5.* Probatur manifeste ex *cap. sine exceptione, 12. quest. 2.* in quo textu declaratur nulla alienatio, quae in utilitatem Ecclesiae non cedit: & *cap. 1. de rebus Ecclesiae non alienandis in 6.* declaratur alienatio iniusta, cui deficit legitima causa alienationis, cui consentit extraneus, *Ambrosio, e. dem tit. Neque obstat contrarium fundamentum ex duplici enim capite Ecclesia potest petere sibi restitui rem alienatam: Primo, si absque legitima causa alienauerit; tunc non petit restitutionem, quasi validus fuerit contractus alienationis factus, sed petit restitutionem rei, cuius dominium transferre in alium non potuit. Secundo, petere potest rei alienatae restitutionem, quia esto fuerit alienata ex legitima causa, & debita solemnitate: at fuit in pretio enormiter laesa, & ratione enormis laesionis restitutionem in integrum petere potest, iuxta textum in *c. nostram, de rebus Ecclesiae non alienandis.**

2 Sed quid si Ecclesia existimauerit causam legitimam adesse? Plures Doctores firmant validum esse contractum, quia saltem in foro externo causa adfuit legitima. Neque credendum est Ecclesiam velle alienationem bona fide factam irritare: sic glossa *c. ad nostram de rebus Ecclesiae non alienandis, verbo enorme, c. l. n. c. quae in Ecclesiis, de constit. col. 1.* & alij quos refert, & sequitur *Cou. 2. var. cap. 17. n. 2. Mol. de contract. tract. 2. disp. 468. concl. 6. Bonac. disp. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 6. sine.* Ad idem etiam supradicti Doctores. Mol. & Cou. in contractu adesse causam legitimam, si in eo seruata fuerit forma à iure praescripta, tamen si Ecclesia admittatur ad probandam illegitimitatem causae, si se videri deceptam. Ceterum et si supradicta sententia valde probabilis sit, probabilior mihi videtur negans valere talem contractum. Tum quia text. absolute irritant alienationem sine causa factam, sed praesumptio causae non infert causam, ergo non infert valorem in alienatione. Tum quia raro, aut nunquam potest declarari contractus nullus, si quidem celebrantes contractum, praesumi debent sibi visum fuisse iustam habere causam contrahendi, & ita tenet Nauarr. *comm. de alienat. rerum Ecclesiae, n. 9. vers. octavo annotato.*

3 Aduertunt tamen, & bene *Cou. & Mol. ibi, c. disp. 300. per totam* si alienatio bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum facta sit pro satisfaciendis Ecclesiae debitis, atque alieno solvendo obligatum esse creditorem probare pecuniam mutuatam veram fuisse in Ecclesiae utilitatem, alioquin alienatio non tenebit. Ratio est, quia alienatio bonorum absque legitima causa non tenet, sed quando pecunia mutata versa non est in utilitatem Ecclesiae, Ecclesia non tenetur illam soluere, ut expressè habetur *Authent. hoc ius porrectum, C. de de sacrosanct. Ecclesiae, c. 2. S. hoc ius porrectum, 10. q. 2. c. leg. 3. tit. 1. part. 5.* Ergo non adest causa legitima alienandi, dum non probatur à creditore obligatam sibi esse Ecclesiam ad debiti solutionem.

4 Quoad secundum attinet de defectu solemnitatis requisitae. Non defunt Doct. res graues, qui sentiant validam esse

alienationem, modo adfuerit legitima causa: sic *Nau. comm. de alien. rerum Ecclesiae, n. 17. Azor. 2. par. dist. lib. 9. c. 1. q. 9. sine. Sylu. verbo alienat. n. 13. Angel. eodem n. 14. Rodiq. c. 1. q. 1. q. 17. art. 9. Quaranta sum. bullar. verbo alienatio, n. 34. c. 50. Probaturque potest, primo, quia adaequatus finis statuendi has solemnitates in alienatione est, ne Ecclesiae fiat praedictum. Ergo si constat nullum praedictum fieri, cessat prohibitionis ratio, ergo cessat prohibitio. Secundo. Contrahenti cum Ecclesia absque dicta solemnitate liberum non est stare contractui, aut illum renecere, sed necessario stare debet contractui, dum ab Ecclesia non repellitur, ut multis comprobatur *Sarmiento 1. par. de reditib. c. 2. n. 18. Prax. Neapolit. c. 88. n. 1.* Ergo signum est contractum valere, alias licetum illi esset ab eo rehiere.*

5 Nihilominus probabilius censo talem alienationem inualidam esse, tam in foro externo, quam in conscientia, sic alij relatis *Cou. 2. var. c. 17. n. 2. Mol. Theolog. tract. 2. de in integrum restitut. 468. concl. 6. Valq. in opuscul. de reditib. dub. 14. Sarmiento 1. par. de reditib. c. 2. Bonac. disp. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 10. Fundamentum praecipuum fuitur ex variis textibus, in quibus alienatio bonorum Ecclesiae absque debita solemnitate facta expressè irritatur: sic enim constat ex *c. sine exceptione, 12. q. 2. c. 1. n. de his quae sunt à Prelato, c. Nulli, de rebus Ecclesiae non alienandis, c. 1. eodem tit. in 6. c. Clem. 1. c. extraneus, Ambrosio, eodem tit. n. 10. Quis autem huius irritationis non est laesio, & fraus Ecclesiae, quae hoc, vel illo casu contingere possit omnia solemnitate in contrahendo, sed est laesio, & fraus, quae communitur, & in plurimum est illius omissione ei potest provenire. At hic finis semper persuevit, quantumvis vnus vel alius contractus factus fuerit in Ecclesia utilitatem. Ergo contractus, in quo est omnia solemnitas, semper manet irritus. Et confirmari hoc potest, quia probata in foro externo omissione solemnitatis in contractu, declaratur contractus irritus, tamen si probetur in fauorem Ecclesiae factum fuisse. Ergo etiam in foro conscientiae sic debet reparari; quia forum conscientiae externo conuenit, cum externum falsae praesumptioni non innititur, ut saepe dictum est.**

Ex his manet soluta prima ratio contraria. Ad secundam concedo in foro externo non permitti contrahentem cum Ecclesia, vel minore absque solemnitate restitui à contractu in penam fraudis, quam praesumitur contrahendo inentale. Quapropter ad has fraudes vitandas, & Ecclesiae utilitati prospiciendum conceditur Ecclesiae, ut si ipsa velit stare contractui facti absque solemnitate, alius non possit restitui; si vero velit illum repellere, censetur repulsus: sic optime tradit *Sarmiento, & Valq. supra.*

Aduerto tamen hanc approbationem contractus debere Ecclesiam solemniter facere; quia tunc de nouo contrahit si quidem prior contractus nullus fuit ipso iure: sic *Valq. de reditib. d. c. 2. §. 2. dub. 14. sine.*

6 Ex supradictis constat rem alienatam ab Ecclesia absque legitima causa, vel debita solemnitate restituendam esse Ecclesiae cum omnibus eius fructibus, & prouentibus deductis expensis, quia contractus nullus fuit: constat ex *c. si quis, de rebus Ecclesiae non alienandis, & tradit Mol. disp. 468. concl. 6. Valq. in opuscul. d. c. 2. §. 2. dub. 14. Bonac. disp. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 12.*

Ecclesia vero non tenetur pretium illi reddere. Primo, si mala fide contractus celebratus est, quia ob delictum committentis pretio priuatur emptor in Ecclesiae utilitatem; & ex *Liubema, c. ex Aurb. qui res, C. de sacrosanct. Ecclesiae, sic Mol. Bonac. supra.* Secundo, si ex tali contractu locupletior Ecclesia facta non est, tamen si bona fide ex parte emptoris contractus fuerit celebratus, quia tunc non Ecclesia, sed his qui nomine Ecclesiae contractus tenetur emptori pretium reddere, & indempnem seruare. Secus vero si Ecclesia pretium retinet, vel locupletior ex contractu facta est; quia tunc ipsa tenetur: sic *Mol. Valquez & Bonac. locis citatis.* Emptor autem in tali casu retinere rem Ecclesiasticam, aut eius fructus potest citulo recompensationis pretij sibi reddendi, dum pretium sibi ab Ecclesia non redditur, sic *Valq. & Bonac. supra.*

7 Tandem inquiri poterat, quae poena esset impositae alienantibus, vel alienatum recipientibus extra casus à iure permittos, vel absque debita solemnitate? Respondeo nullam ipso iure poenam impositam esse, locis illis, in quibus extraneus *Ambrosio, recepta non est: illam autem in hac parte ferè nullibi esse receptam restat Syluest. verbo alienat. q. 15. Sarmiento 1. par. de reditib. cap. 2. n. 20. Valq. eodem in opuscul. cap. 2. §. 2. dub. 7. n. 32. Bonac. disp. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 14. Suar. l. 1. de censur. disp. 23. sect. 6. n. 3. Nauarr. sum. cap. 27. n. 149.*

Verum illis in locis, in quibus dicta extraneus constitutio recepta est, puniuntur alienantes, Episcopi, & Abbates interdicto ab Ecclesiae ingressu, in quo si per sex menses perdurauerint suspenduntur à regimine, & administratione tam in temporalibus, quam spiritualibus Ecclesiae, cui praesunt. Quod si alienantes inferiores Episcopi, & Abbates sint, priuantur beneficio, vel officio illius, cuius bona alienate praesumerunt, insuperque excommunicationem incurunt, quae etiam recipientes alienationum comprehenduntur. Constat ex supradicta constitutione.